

ad Corpus B. Petri sacramentum praebuit; revertens in Franciam, Ravennam ingressus, videns pulcherrimam imaginem, quam nusquam similem, ut ipse testatus est, vidit, in Franciam deportare fecit. Anno 801. Carolus Magnus Romanorum Imperator renunciatus, in Franciam reversus est. Ergo anno 839. Agnellus haec scribebat. Rursus eundem audiamus in Vita Mauri Archiepiscopi de miro lapide porphyretico Ravennae posito narrantem: Sed paene annos XII. tempore Petronacis Pontificis Lotharius Augustus tollere iussit, & Franciam deportavit. Quum Lotharius anno 823. Coronam Imperii Romae perceperit, consequens est, haec ab Agnello scripta circiter annum 836. Discrepant haec aliquantulum a supputatione praemissa; sed non uno tantum anno Agnellus suum Opus absolverit. In Vita quoque Georgii narrat proelium terribilissimum peractum anno 841. inter Lotharium, & reliquos Ludovici Pii filios. Quare vides quousque suum laborem produxerit Agnellus.

Ab Auctore ad Librum ipsum descendamus. Prima fronte contempnas, quum inibi tot Barbarismos ac Soloecismos offendas, quorum partem ut ut rejicere in Descriptorem ineptum velis, potior certe Agnello ipsi tribuenda videtur, parum in Prisciani Schola versato. Tum intolerabiles Anachronismi se offerunt, & fabellae, quas facile aetas illa amplectebatur, nos autem aut ridemus, aut difficile excipimus. Ad haec ubi navigare amplius nequit, eum aqua deficiente, adhuc subsidere nequit; hoc est infulsis concionibus Lectorem detinet, & phaleris loca vacua implet, ne jejuna nimis nonnullorum Archiepiscoporum Vitae appareant. Quid? quod in Episcopos sui temporis male animatum se non uno in loco prodit, quum contra Sancti titulo nonnullos ex Ravennatibus Praefulibus donet, quos aut tentatum Schisma, aut perditum mores infecerunt. Immo illorum ausibus interdum ita plaudit, ut in ipsos Romanos Pontifices, eorumque antiquissima jura, Scriptor hic maledico dente infurgat. Verum haec minime absteruerunt Clarissimum Virum Benedictum Bacchinium, quominus librum hunc numquam antea editum nostris diebus publica luce donaret. Nam aequae certum est, Agnellum, ut ut Scriptorem velis rudem, barbarum, & dicas etiam, tribolarem, multa tamen nobis, eaque magni facienda, ex antiquitate servasse, non ad celeberrimae tantum Ravennatis Ecclesiae exornandam Historiam plurimum opportuna, sed & ad mores antiquorum temporum, ipsiusque Secularis Historiae acta quaedam in majori lumine collocanda, non exiguo adjumento futura. Audiendus autem Agnellus ipse, qui de suo Opere haec in Vita Exuperantii Archiepiscopi X. X. habet: Praedictum Pontificalem ego Agnellus, qui & Andreas exiguus Sanctae meae hujus Ravennatis Ecclesiae Presbyter rogatus, & coactus a fratribus ipsius Sedis Historiam non inveni, aut qualiter eorum Vita fuisset, vestris aspectibus allata sunt. Et ubi nes, neque per aedificationem, neque per quamlibet auctoritatem, ne intervallum Sanctorum Pontificum feret, illorum Vitam composui &c. Ceterum tam paucos rudium Seculorum Historicos ostendere Italia potest, ut ambabus ulnis excipiendus sit ille, & gratulandum nobis, quod nondum totus perierit.

Et quidem in gravi discrimine is fuit. Ipso ad contexendum Historiae suae Ravennatis opus egregium usus est Hieronymus Rubeus; attamen lib. 5. pag. 238. de ipso Agnello in haec verba scribit: Qui his non solum interfuit, sed praesuit, summaque doctrina eruditus de Ravennatibus Archiepiscopis volumen gravissime scriptum reliquit. Quod quum diu in Archiepiscopatus Bibliotheca fuisset, superioribus annis, cum multis aliis de Agnello erat, nisi Estensis Bibliotheca unum nobis Codicem servasset membranaceum, & circiter annum Christi 1340. manu exaratum. Eruditorum intererat Benedictinus Abbas, Vir solidae, & exquisitae eruditionis, primus omnium edidit Mutinae anno 1708. typis Antonii Capponii, simulque dicavit Serenissimo Raynaldum illius editionem poscebat Collectio nostra. En ergo illam, & quidem integram, qualem Bacchinus dedit, hoc est una cum Dissertationibus, & Appendice documentorum, quibus Agnellum ipse eruditissimus Vir correxit, illustravit, ac ornaturus cum eodem Codice MSro Bibliothecae Estensis Bacchinianam editionem commissa: quam culpam non in Bacchinium, hominem veteris scripturae peritissimum, sed in descriptorem, quo ipse fuerit usus, rejiciendam puto. Haec omnia in calcem cujusque pagellae adnotata reperies. Eo vero libentius laborem hunc iterum aggressus sum, ut eruditis viris suspicionem eriperem mutilati ab ipso Bacchi-